



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

Privilegium Sacræ Cæsareæ Et Catholicæ Majestatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

P R I V I L E G I U M

SACRÆ CÆSARÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.



CAROLUS SEXTUS,

Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR, Semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. REX; ARCHIDUX Austriæ; DUX Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Württembergæ; COMES Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Universis, quod, cum Nobis Noster Sacrique Romani Imperii fidelis dilectus ANDREAS CHEVALIER *Typographus* LUXEMBURGENSIS, humillimè exponi curarit, quem in modum BULLARIUM MAGNUM ROMANUM NOVISSIMUM A BEATE LEONE MAGNO USQUE AD PONTIFICEM NUNC REGNANTEM, cum suis SUPPLEMENTIS in Folio & Novem Tomis prelo comiserit, vereatur autem, ne æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantium gravis in tanto opere Impendii & laboris sui fructu frustretur: Ideoque Nobis demissè supplicarit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Nostro Cæsareo succurere clementissimè dignaremur; Nos submissæ pariter ac æquæ ejus petitioni annuendum censuerimus: Ac proindè Autoritate Nostra Cæsarea omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopægis, Typographis, & aliis quibuscunque rem Librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdiciamus, ne quis supra nominatum BULLARIUM MAGNUM ROMANUM, sub hoc aliove titulo aut formâ per decem Annorum spatium ab hodierno die computandum intrâ Sacri Romani Imperii, & Regnorum ditionumque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare aliorumvè impressum apportare citra præfati impetrantis, ejusdemque Hæredum ac Successorum voluntatem in scriptis obtentum ausit vel præsumat, si quis verò secus faciendo Privilegium hoc Nostrum seu interdictum violare, contemnereque præsumpserit, cum non solum ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippè recusis, seu apportatis (quæ dictus ANDREAS CHEVALIER sive propria auctoritate, sive Magistratus loci illius auxilio sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed & Decem Marcarum auri puri poena Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte Libri impressus reperiatur, & consueta ejus quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostri & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariarum subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis, aut ordinis fuerint, præsertim verò iis qui in Magistratu existentes vel suo vel superiorum suorum loco jus justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut transgredi patiantur: sed, si quos contumaces compererint, constituta à Nobis mulcta eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem prædictamque poenam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostra subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna die vigesimâ secundâ Augusti anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani decimo quinto, Hispanicorum vigesimo tertio, Hungarici & Bohemici verò decimo sexto.

CAROLUS.

UT FRID. COMES DE SCHÖNBORN.

L.S.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium
I. S. HAYECK de Waldstätten.

Et memoratus CHEVALIER pro dimidia parte superscriptum Sac. Cæs. Maj. Privilegium concessit MARCO-MICHAELI BOUSQUET & SOCIIS, ex conventionione factâ inter eos Idibus Decembris anni 1726.